

omnibus qui ligantur legibus suis, vel loquuntur de Papa, et sic dum alios non excludunt comprehendunt eos in quibus eadem proportio servatur. Una vero difficultas hic superest de modo quo legislator posset secum dispensare, quam infra melius tractabo capite decimo quarto.

12. *Quomodo Prælati possunt secum dispensare in legibus quas ipsi non tulerint.* — Loquendo autem alio modo de his prælati vel magistratibus inferioribus qui potestatem habent dispensandi in legibus superiorum, major est difficultas, sed spectat ad caput 14. Nam quod ad præsens attinet, certum est dispensationem non repugnare propter identitatem personæ; nam quoad hoc est eadem ratio; tamen in potestate activa dispensandi potest esse diversitas. Nam respectu propriæ legis ex natura rei sequitur ut qui illam tulit possit in ea dispensare, nisi prohibeatur; in lege autem superioris hoc non sequitur ex natura rei, sed pendet ex modo potestatis a superiori concessæ, de qua potestate in dicto capite 14 dicemus. Nunc ergo solum dicimus quotiescumque constiterit potestatem datam esse sub hac amplitudine, Prælatos posse secum dispensare, sicut de prælati religionum sensit D. Thomas 2. 2, quæst. 185, art. 8, in fine corporis, ubi ait Prælatos religionum posse secum dispensare in præceptis seu ordinationibus suæ regulæ; idemque posse Episcopos regulares quoad eadem præcepta regulæ. Quod eodem modo docent Anton., 3 part., t. 20, cap. 2, § 7; et Sylvest., verb. *Religio*, 6, q. 1, et 7, q. 12; Tabien., verb. *Episcopus*, q. 6; Turr. in c. *de Monachis*, 16, q. 1. Constat autem præcepta regulæ non esse lata ab ipsis Prælati ordinariis, sed vel a tota religione, quæ superior est, vel a generalibus. Aliqui vero dicunt divum Thomam non loqui de propria dispensatione, sed licentia, quæ non est dispensatio, ut supra dixi. Verumtamen D. Thomas et alii clare loquuntur de propria dispensatione derogante legi prohibenti vel præcipienti absolute. Quamvis doctrina a fortiori vera sit de licentia, si tamen illa est Prælato necessaria: nam fortasse proprius diceretur quoties regula statuit ut aliquid non fiat sine licentia, ad subditos tantum loqui, non ad Prælatos: nam illi non indigent licentia, sed discretionem et prudentiam. Nisi ubi regula aperte disposuerit ut Prælati inferior aliquid non agat sine licentia majoris Prælati; tunc enim id agere non posset, ipse sibi ordinarie licentiam concedendo, quia esset contra regulam. Quod si in casu urgente oc-

curreret causa justa sic operandi, tunc posset secum dispensare ad id agendum sine licentia, et hoc possunt etiam religiosi facti Episcopi; illa vero non esset mera licentia vel impropria dispensatio (ut alii loquuntur), sed esset propria relaxatio legis in particulari casu, et ita esset propriissima dispensatio.

CAPUT XIII.

DE FORMA DISPENSATIONIS IN LEGE HUMANA.

1. *Dispensatio tacita et expressa.* — Sermo est de forma externa et sensibili; nam interior actus non habet aliam formam insensibilem, sed ipse est quædam forma spiritualis, de quo actu, quis vel qualis sit jam dictum est; quia vero exterius manifestari debet ut inter homines operari possit, ideo signum illud quo manifestatur exterius vocatur forma ejus, sicut in lege ipsa diximus. De hoc ergo signo inquirimus quale esse oporteat. Ad hoc autem explicandum præmittenda est alia divisio dispensationis in expressam et tacitam: expressa dicitur quæ propriis et apertis verbis conceditur; tacita vero quæ aliis signis vel factis indicatur. Et explicando hæc duo membra et sufficientiam illorum, hanc formam sufficienter explicabimus.

2. *Ad dispensationem expressam nulla determinata verba requiruntur.* — Circa expressam dispensationem imprimis adverte, licet ad illam regulariter requirantur verba, nulla tamen esse determinata, vel ex natura rei, vel in jure, ad dispensationem concedendam, ac subinde illa sufficere quæ, juxta communem usum, et dispensantis voluntatem et effectum dispensationis satis indicare valeant. Unde licet aliqui dicant illam esse expressam dispensationem quæ per verbum *dispensandi* datur, ut patet ex Rebuffo in Pract., p. 2, t. de Dispen., n. 19, nihilominus non est intelligendum illam solam esse expressam, id enim nullo jure probatur, et sunt alia verba vel æquivalentia vel sufficientia, licet non sint tam clara, ut: *Damus licentiam, indulgemus*, et interdum posset sufficere verbum *permittimus*, cum ex materia constiterit, de quo genere permissionis fit sermo. Verbum ergo proprium *dispensandi* est regulariter usitatum in jure et rescriptis Pontificum, et ideo ponitur quasi exemplar aliorum quæ ad expressam dispensationem sufficiunt, non ut simpliciter necessarium.

3. *In dispensatione requiritur ut materia*

sufficienter exprimat. — Deinde adverte ad hanc dispensationem expressam necessarium esse ut materia ejus sufficienter exprimat, id est, de qua obligatione, lege, aut impedimento vel inhabilitate detur dispensatio, et cui detur. Quia alias verbum dispensandi non haberet satis determinatam et individuum significationem, et ita nihil posset operari. Non est autem necesse ut materia dispensationis specificè semper declaretur, sed potest sufficere generale verbum, ut; *Dispenso tecum in quacumque irregularitate, vel in impedimento, si quod habes, vel quid simile.* Nam id quod in generali verborum significatione comprehenditur, censetur etiam expressum, licet non sit specificum, juxta Gloss. in l. *Lucius*, ff. de Vulgar., verb. *Non ad matrem*, et notat late multa allegando Tiraq., post leges connubiales, Glos. 7 n. 86, 87 et sequent. Et in præsentem est manifestum, quia expressa dispensatio distinguitur contra tacitam seu præsumptam; constat autem generalem concessionem verbis expressam non esse præsumptam aut tacitam respectu specierum sub generali significatione verborum indubie contentarum; igitur ex parte materiæ sufficit generalis expressio. Et idem erit cum proportionem de persona cui fit concessio, si dispensatio simul concedatur multis: nam tunc expressa erit dispensatio pro singulis, si omnes uno generali verbo comprehendantur. Si autem dispensatio uni tantum concedatur, tunc oportebit ut persona illa in particulari designetur ad quam dirigitur dispensatio, sive id fiat nomine proprio, sive circumlocutione aliqua, sive pronomine demonstrativo, juxta varias scribendi aut loquendi formas.

4. *Ad valorem dispensationis non requiritur scriptura, nec ad substantiam illius.* — Unde est tertio supponendum ad valorem et substantiam dispensationis etiam expressæ non requiri scripturam, sed verba ore prolata sufficere. Nam si in lege ipsa non est necessaria scriptura, multo minus erit necessaria in dispensatione legis. Item infra ostendemus scripturam non esse de substantia privilegii, ergo nec erit de necessitate dispensationis. Denique nullum est jus quod scripturam requirat, et vocale verbum non est signum minus expressum quam scriptum; ergo. Dico autem non requiri scripturam ad substantiam dispensationis, quia ad probationem pro foro externo poterit esse necessaria, et regulariter illa postulatur; illa vero deficiente, aliæ probationes poterunt sufficere, nisi in aliquo casu plus in

jure requiratur. Imo aliquando etiam potest esse necessaria dispensatio scripta, ut in conscientia liceat illa uti; sed hoc non habet locum nisi in casibus in jure expressis, de quibus videri potest Gloss. in c. 1, § *Postquam*, verb. *In scriptis*, de Censib., in 6. Idemque est quando Pontifices in aliquibus bullis requirunt licentiam in scriptis obtentam, ut habemus exemplum in Trid., sess. 25, c. 5 de Regul.; extra hos vero casus verba dispensantis sufficiunt. Tunc ergo satis est designare personam cui fit dispensatio, per signa quælibet determinativa et designativa individui, ut: *Concedemus huic, tibi*, etc. In scriptura vero ordinarie necessarium est nominare personam, vel ad illam semel nominatam sufficientem facere relationem. Persona autem dispensans in forma scripta necessario est nominanda; in verbali autem concessione satis est quod ipsa loquatur et verbum de præsentem proferat, ut ex materia etiam de Sacramentis constat.

5. Quarto, adverte nonnullos auctores dixisse de necessitate hujus formæ esse, ut a petitione dispensationis inchoetur, quia dispensatio non datur motu proprio, sed tantum postulata. Quia, cum dispensatio sit juris relaxatio, non debet princeps proprio motu eam concedere, sed rogatus et quasi coactus, argumento l. 4, § 1, de Damn. infect.; quod sentit Mendos. de Signatur. grat., tit. de dispens., et sequitur Roder., tomo 1, q. 22, a. 3. Imo multi existimant ad valorem dispensationis necessarium esse ut vel ab ipso indigente petatur, vel ex ejus mandato, ac subinde esse nullam si ab aliquo tertio sine mandato impetretur. Ita Panorm. per illum textum in c. *Innotuit*, de Elect., n. 10; idem in c. *Nonnulli*, § *Sunt et alii*, de Rescript., ubi idem tenet Hostiens. Fundamentum sumitur ex dict. c. *Innotuit*, ubi negatur dispensatio quia fuit petita sine mandato.

6. *Dispensatio per amicum impetrata valet.* — Utrumque autem censeo esse falsum. Assero itaque imprimis dispensationem impetratam ad petitionem amici sine mandato partis dispensandæ ex se validam esse, et operari posse si ab eo cui concessa est acceptetur. Ratio est, quia nullum est jus quod pro forma validæ dispensationis illam conditionem requirat; sine jure autem est nullum fundamentum ad id asserendum, quia ex natura rei quodlibet donum, vel elemosyna, vel gratia potest valide per amicum impetrari ei qui nihil procurabat. Consequentia est evidens. Antecedens autem patet quia in jure civili nihil est quod

obstet, et potius in l. *Universis*, c. de Precibus imperatori offerendis, dicitur rescriptum per quemcumque impetratum valere; ergo etiamsi impetrator non sit procurator constitutus, valebit ex vi illius legis, quia absolute et sine ulla restrictione loquitur. In jure autem canonico, dictum c. *Innotuit* nihil probat, tum quia ibi non dicitur dispensationem futuram fuisse nullam si absque mandato fuisset concessa; sed solum dicitur Pontificem ob eam causam noluisse illam concedere, quod longe diversum est: tum etiam quia ibi non negatur dispensatio quia petebatur sine mandato personæ dispensandæ, sed quia petebatur sine mandato Capituli, quod personam illam elegerat in Episcopum; et confirmationem, non dispensationem petebat, et ideo utraque ei denegatur. Unde potius supponitur potuisse peti a Capitulo sine mandato ejus pro quo petebatur, et tunc fuisse concedendam, et futuram fuisse validam.

7. Neque etiam obstat c. *Nonnulli*, § unic., de Rescrip., ubi annullatur rescriptum impetratum sine mandato, et impetrans punitur. Nam caput illud aperte loquitur de rescriptis justitiæ, seu ad lites, non de rescriptis ad gratias, seu beneficia; nam et verba textus et ratio ejus ad priora tantum rescripta accommodantur, ut ibi notat Glossa penult. in fin., et Felin. ibi, n. 10, referens alios. Qui etiam hoc extendit ad impetrationem privilegiorum et immunitatum, quod ex Glossis et doctoribus, et ex identitate rationis confirmat, quæ sine dubio eadem est quæ in dispensationibus. Præterea partem hanc aperte supponunt doctores qui docent privilegium per mandatarium obtentum statim esse validum, non vero si absque mandato obtineatur, in quo idem de dispensatione indicant, ut infra l. 8 sufficienter videbimus. Denique consuetudo curiæ hanc partem sufficienter confirmat, ut sumitur ex Rebuf. in Praxi, t. de Dispens., n. 23, juncto titulo de differentiis inter rescriptum gratiæ et justitiæ, et optime Navar., cons. 2 de Rescript. et cons. 4, n. 4.

8. *Dispensatio potest a prælato proprio motu concedi.*—Deinde assero nullam petitionem vel supplicationem necessariam esse in rigore ad formam et valorem dispensationis, sed posse a Prælato proprio motu concedi. Hoc sequitur ex præcedenti, et ita potest eisdem doctoribus attribui; nam si tertia persona sine mandato potest amico dispensationem impetrare, cur non poterit Prælatus proprio motu, ex sua tantum providentiâ illam indigenti indulgere?

Deinde ratio facta hic etiam procedit, quia neque natura sua hoc malum est, neque ullo jure prohibetur, non solum Pontifici aut principi, ut est per se notum, verum etiam nec Episcopo aut prætori. Neque lex illa 4 ad causam facit, quia non de gratia vel dispensatione loquitur, sed de justitiæ executione inter partes constituendæ, quibus non solet providere iudex, nisi altera postulante. Quanquam interdum ex officio possit iudex subvenire quando aliquis damnum patitur, et impeditur ne possit postulare, ut in eodem t. de Damno infect., l. *Hoc amplius*, 9, dicitur. Multo autem facilius potest hoc facere princeps aut Prælatus in concessionem dispensationis, quæ est quædam gratia quam potest sua sponte facere. Nec obstat quod relationem juris contineat: nam etiam privilegium illam continet, et nihilominus sæpe conceditur motu proprio. Item ipsa relatio potest esse in casu necessaria vel ad commune bonum, vel ad privatum particularis personæ, cui potest superior ex officio providere, si ipsa sit indigens. Imo non solum potest dispensare, sed etiam præcipere subdito ut dispensatione utatur, ut paulo antea dixi.

9. *Aliqua dispensatio postulat expressa verba.*—Ex his ergo notari potest quinto aliquam dispensationem expressam necessario postulare expressa verba superioris, et quando illam proprio motu concedit, juxta cap. *Si motus*, de Præb., in 6; aliquam vero esse posse expressam etiam sine proprio verbo superioris, ut est illa quæ fit ad petitionem alicujus. Hanc enim semper esse expressam sentit Rebuf., d. t. de Dispens., n. 19, et licet de illa quæ est aperte postulata res sit clarior, tamen idem est si petatur a quocumque alio intercessore seu postulatore. Nam cap. *Innotuit*, quod allegat, potius loquitur de postulatione facta a tertio, ut supra notavi. Ratio autem est, quia cum postulatio expressa dispensationis procedit, necessario concessio illi conjuncta facit expressam dispensationem. Unde, licet post subditi petitionem superior nihil scribat vel loquatur, sed nutibus tantum annuat, demonstrando consensum, est dispensatio satis expressa, quia superior, suum consensum ostendendo, facit sua verba petentis, super quæ cadit; præterquam quod nutibus solet consensus satis clare et expresse indicari. Sicut matrimonium satis expresse contrahitur quando procedit interrogatio per verba, et nutibus explicatur consensus. Quando autem non præcedit expressa petitio, tunc non semper est dispensatio expressa, imo nec videtur esse posse per nutus aut alia signa

præter expressa verba; ubi autem hæc intercesserint, possunt sufficere, etiamsi postulatio non præcedat, ut ex dictis constat.

10. *Dispensatio regulariter conceditur ad petitionem alicujus.*—Est autem ultimo observandum regulariter dispensationem concedi ad postulationem alicujus, quia raro occurrit tanta necessitas dispensationis, ut etiam non petentibus offeratur, et quia mens concedentis ex postulatione optime intelligitur, ideo in ordinariis instrumentis dispensationum quasi pro ordinaria forma servatur, ut præmissa postulatione subjungatur concessio. Aliquando vero non obstante postulatione dicitur concessio fieri motu proprio, quæ duo quomodo cohæreant, et quam vim habeat illa clausula *motu proprio*, et quando subintelligenda sit, dicemus infra tractando de privilegiis, ubi etiam explicabimus fere æquivalentem clausulam *ex certa scientia*, et alias similes, et varias etiam formas concedendi privilegia quæ in dispensationibus possunt habere locum; sed quia magis sunt propriæ privilegiorum, in eum locum eas reservamus.

11. *De dispensatione tacita.*—Explicatur modus quo in supremo principe omnes admittunt tacitam dispensationem.—Venio ad illud membrum tacitæ dispensationis, quæ difficilior est ad explicandum, quia non consistit in aperta significatione voluntatis, sed tantum in præsumpta, quæ obscurior est. Et ideo multi jurisperiti non admittunt hanc tacitam dispensationem, ut ex Calder. et Oldrald., refert Anton. Gabr., dicto t. de Præsumpt., conclus. 8, n. 6 et sequentibus, qui dicit secundum stylum curiæ esse veriorem sententiam. Communiter vero fere omnes tanquam certum supponunt esse possibile et sufficiens hoc genus dispensationis. Sed in hoc est magna varietas; nam in supremo principe omnes admittunt dispensationem tacitam in omnibus quæ ad jus humanum pertinent, quia supremus princeps intra suam spheram est supra humanum jus, et potest in illo, ut voluerit, dispensare, saltem quoad valorem dispensationis. Secus vero docent de eodem ut dispensante in votis et aliis quæ jus divinum attingunt: nam respectu illorum ita se habet sicut inferiores in lege superioris, de quibus etiam sunt opiniones.

12. Aliqui enim absolute negant inferiorem posse tacite dispensare in lege superioris, sed tantum expresse. Quod videtur sentire Innoc. in cap. *Veniens*, de Filiis Presbyter., et Panormit. in cap. *Diversis*, de Cleric. conjug., n. 4, et in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, de

Elect., n. 8, cum Gloss. in cap. unic. de Ætat. et qualitat., in 6; Rebuff., referens plures in pract., t. de Dispensat., n. 15 et 16, et plures refert Anton. Gabr., sup., et plures Menoch., de Præs. l. 2, præ. 20, n. 24 et 25, et plures alii; Sanc., lib. 8 de Matrim., disp. 4, n. 15. Et rationem differentiæ assignant, quia princeps potest valide dispensare sine causæ cognitione, non vero inferior; in dispensatione autem tacita non intercedit causæ cognitio, et ideo tunc non præsumitur voluntas, quia esset temeraria, et licet admitteretur non esset sufficiens. Quia vero dicta ratio universalis non est, ideo alii subdistingunt in inferioribus dispensationibus: nam vel dispensant in proprio jure, vel in jure superioris. In priori casu, absolute possunt per tacitam dispensationem jus suum relaxare, quia eadem proportionem ad illud habent quam princeps supremus ad commune jus, et eorum dispensatio valet etiam sine causa, ut infra dicemus. In posteriori autem casu, aiunt non posse tacite dispensare propter rationem factam. Ita supplementum Gabr., in 4, distinct. 38, quæst. 1, art. 5, dub. penult.; et sequitur Navarr. in Summ., præ. 9, n. 15, et cap. 25, n. 74, ubi hoc limitat ut procedat in foro exteriori: *Nam in foro conscientie aliud*, inquit, *fortasse verum est*. Sequitur Azor., lib. 5, cap. 15, q. 10, in 4 tom., extendens hoc ad forum conscientie. Aliter Sylvest., verb. *Dispensatio*, quæst. ult., indicat non repugnare dispensationem esse tantum tacitam et fieri cum causæ cognitione, et ideo (inquit) si Episcopus procedat cum causæ cognitione dispensando tacite in lege superioris, esse validam dispensationem. Qui ita videtur limitare et exponere superiorem communem opinionem. Et eandem sententiam indicavit Cajetan. 2. 2, quæst. 104, a. 5, in fine.

13. Alii vero et plurimi auctores indifferenter dicunt dispensationem tacitam habere locum in quocumque potente dispensare, sive in jure suo, sive in jure superioris dispenset. Et hanc opinionem ego tenui in tomo de Censur., disp. 41, sect. 3, in fine, cum Palud., in 3, d. 38, q. 4, art. 4, concl. 2; Anton., 2 part., tit. 11, c. 2, § 9. Et idem tenet Angel., verb. *Dispensatio*, n. 12; Medin. in Sum., 1 part., cap. 11, § 12, dicens: Si Prælatus religionis det litteras dimissorias ad ordines suscipiendos subdito quem scit esse irregularem, eo ipso dispensare cum illo cum possit, ut supponitur. Idem Ludovic. Lop. in Instruct., 1 part., cap. 4. Denique hoc late defendit Sanci. supra, referens plures auctores. Et sane consequenter